

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3773

**Auteur(s)** : Philippe III le Hardi, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Troarn, Saint-Martin (abbaye, abbé)

**Genre d'acte** : vidimus

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1273, décembre

**Lieu d'émission** : Paris

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Philippe [III], roi de France, vidime une charte d'Henri [III], roi d'Angleterre, pour l'abbaye de Troarn.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 834, p. 194-195.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos litteras H. quondam regis Anglorum ducis Normannie et Aquitanie et comitis Andegavie, vidimus in hec verba :

H., rex Anglorum et dux Normannie et Aquitanie et comes Andegavie, archiepiscopo Rothomagensi, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus et omnibus ministris et fidelibus suis totius Normannie, salutem. Sciatis controversiam que vertebatur inter abbatiam Troarni et comitem Johannem hoc modo terminatam esse, scilicet quod abbas G. et conventus abbacie Troarni clamaverunt quietam comiti Johanni et heredibus suis totum manerium de Reimberthonme, et decimam foreste Gufferni de Vinas, et comes Johannes concessit predicte abbacie decimam thelonei de Montgumeri et tenementum filiorum Roise apud Troarnum, et insuper omnia tenementa que continentur in cartis ipsius abbacie, quas habet de comite Rogero antecessore comitis Johannis, in bosco et plano, in pratis et pasturis, in aquis et molendinis, et in omnibus aliis rebus. Et idem comes posuit prefatam abbatiam in manu mea et custodia et protectione, et quietam ab omni servicio et ab omni exactione immunem ab ipso et heredibus suis. Et ideo volo et firmiter precipio quod hec compositio stabilis inter eos maneat et inconcusse teneatur, sicut superius determinata est, et in presentia mea facta. Testibus R. archiepiscopo Rothomagensi, R. archiepiscopo Eboracensi, H. episcopo Baiocensi, A. episcopo Lexoviensi, R. episcopo Constanciensi, R. episcopo Abrincensi, H. abbate Fiscanni, R. abbate de Monteburgo, R. abbate Valacie, L. abbate Sancti Georgi de Bauchervilla, Ricardo de Humeto constabulario, Willelmo de Curci dapifero, Fulcone Paenello, Willelmo filio Hamonis, Ricardo de Canvilla, Seihero de Quinci ; apud Valonias.

In cujus rei testimonium, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo tercio, mense decembris.